NOBILISSIMO VIRO

JOANNI HEINRICO SCHULTZIO SECRETAR.

S. M.

GEORGIUS HEINRICUS CZIMMERMANN.

Inter praeſentia publici luctus argumenta, quae invitis quibuscunque fuſiſſimas extorquent lacrymas, niſi Tuus quoque ingemiſcentis animi proſtaret dolor, nondum funeſtiſſimis ante Manibus evolutus, nihil admodum occurreret, quo parentalia haec comitia funebri deplorarentur lamentatione. Enimuero qui non ſolum in ſublunari hoc theatro liberalem ducit vitam, ſed eandem perennaturis illuſtrat ornamentis: qui non tantum immortalitatis inſtrumenta irretorto ſemper reſpicit oculo, verum etiam quem

Cinctus lauro perducit ad aſtra triumphus,

ibi fas non eſt, tanta virtutum multitudine doloris molem opprimente, iniquiore quadam lamentatione non interdixiſſe. Quippe etſi ſuum cuique aetatis gradui decus atque virtus ſit, tamen multo glorioſius eſt, matura ſenectute maturiori praecluſiſſe aeternitati; ideo, quod dum leſſum vulgus meditatur, panegyris potius inſtituenda ſit, vivo eo, vel in omnium animis, vel in propriis virtutibus, qui ex ferali Cataſtrophe vita functus credebatur. Scilicet TUUS, olim MAGNIFICUS jam BEATUS GENITOR per amoenas veris ac autumni illecebras, hybernantis quoque Sapientiae feliciter aſſecutus imperium, neſciens unquam torpentem animum, nec deſidem langvore ſpiritum, ut non minorem ſolo natali, quam ipſius nomini irrogaturus ſit iniuriam, animi redintegrati vitam, Virtutis ebullientis Spiritum, atque famae nunquam moriturae laudes in dubium revocare auſus. Quodſi dixiſſe ſufficit, celeriorem eſſe Virtuti

cur

curſum, quam ut longo opus habeat aevo, plus ſibi BEATUS PROCONSUL, quam immortalitatem fundavit, ad poſteros olim transfundendam, qui in utroque clariſſime conſenuit, dum in ipſo gloria citius, quam ſenium adoleverat. Nimirum, quicunque, cum irrevocabilem neceſſitatis legem morti eximere nequeat, famam aeternitati ſacram fieri conatur, ſecurus de vita, ac perpetuo nomine, ſubſcribente coelo, triumphat. Quis namque eum opaco mortis involucro obductum aſſerat, cujus virtus aeternitatis capax, atque famae integritas ejusdem praeſidiis inviolata cuſtoditur: non obtinet ſolum, ſed occupat aeternitatem, ſic mortales mortalitatis depoſiturus exuvias. Proinde non lacrymis funeſta haec dolendi reſtingvitur materies, neque ſatis tanto luctui vel aeternis ſuſpiriis parentatur, ſi eadem ſepulchri mole extinctae virtutes ſepeliantur: quas tamen cum BEATUS aeternitatis comites intellexit, poſteritati transmiſit ad vulneris accepti medelam, cum ipſe ad praemii coronam aeternitati tranſcriberetur. Non hercule ducitur tanti boni jacturae vis ad exulcerandos ſuperſtitum animos, ubi hoc in fatorum conſilio relictis in memoria noſtra virtutibus robur quoddam reſidet, tam acerbum novercantis fortunae documentum mitigans; quin nec diutius lugeri meruit, cujus cum funere tot perennia refloreſcunt decora. Namque ſaepius id agunt benigniora in nos fata, ut praeterlapſae illam felicitatis memoriam, longo aetatis decurſu tandem detritam poſtliminio quaſi figant, atque Surculum

Stem-

Stemmati aequent, quae Virtus, Prudentia, ac Laudes exquiſita ſimilitudine conjungant. Enitent ejus rei docomęnta maxime, quando refloreſcente in tanto FILIO vita, nunquam BEATI PARENTIS emorientur praeconia. Etenim ubi memoriam ab his DEFUNCTI exuviis ad praeſens repeto ſeculum, quem olim ab virtute celebrem, a ſermone ſapientem, a conſilio prudentem, a tota denique vita commendatiſſimum mirabantur mortales, eundem jam felici hoc temporis articulo in TE UNO reſtitutum gratulor. Obſtrinxerat nimirum virtutem *defunctus* GENITOR, ac firmo quaſi adegerat Sacramento, ut ex ſe jam iidem SCHULTZII, eae-iidem Phoenices, ac olim iidem Atlantes renaſcerentur. Quando enim Naturae ſeveritas in primae legis rigorem rapta grandem mulctam ac mortalitatem humano minatur generi, SCHULTZIIS jam haec optata contigit immortalitas, ut alter vivere non deſinat, in altero ſeſe relinquens. Quare ſi dolorem inter haec ſepulchralia buſta, ſive ex praeſenti BEATI PARENTIS, ſive ex recenti adhuc amantiſſimae *Sororis* deſiderio ſupprimere gemitus non ſiverint, cogites *illum*, in ſpolium mortalitatis ceſſiſſe, ut immortalis eſſe inciperet, *hanc* a turbidis ad tranquilliora transmigraſſe. Coeterum, quod ſupereſt, Deum ſupplex veneror, quo Tibi ſub ſpe laetiorum temporum laetiores fluere dies jubeat, atque Nobilem Tuam Familiam in publici honoris dignetur conſervare auctoramentum. VALE. SCRIB. THOR. CIↃ IↃCCVIII. d. XXI. JUNII.